

CONSPECTUS PRAEVIUS TOTIUS ORDINIS

Certum esse videtur, iam saeculo XII in omni canonica extitisse indicem monasteriorum ordinis, quorum extant plures. Fieri potuit, quod indices ante annum 1290 redacti sunt proprio marte singulorum praelatorum vel religiosorum (ut Scheftlariensis et Ninivenses), posteriores vero iussu Capituli Generalis secundum formam quandam a Praemonstrato divulgatam. Probabiliter omnes praelati occasione cuiusdam Capituli Generalis sibi copiam talis indicis procuraverunt. Quae copiae paulatim in decursu saeculorum augebantur additionibus variis, secundum ea, quae religiosi audierunt forte Capitulo assistentes, vel si fuerint in itinere constituti, vel a visitatoribus ex ordine forte occurrentibus. Ita catalogi facti sunt fontes magni valoris, sed omnes plus minusve discrepant. Hic de eis non curamus, vide de illis in tomo tertio. Tamen utile esse duximus hic in initio tomī primi praebere conspectum totius ordinis secundum circarias partitas¹.

Prioratus adducimus tantum si fuerint vere domus formatae, quod interdum est dubium. Quos casus dubios inserimus ad calcem omnis circariae. Parthenones adducimus tantum si fuerint a canoniis virorum distantes et separatae.

¹ De circariis, termino ordini nostro proprio, vide supra nota 8 in praefatione.

